

QUÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS, mane discutienda in Scholis Medicorum, die Veneris septimâ Januarii.

M. CLAUDIO QUIQUEBEUF, Doctore Medico, Præside.



An quæ frigido sunt Utero, concipiunt?

I.

VIVENS quodlibet semel occidere necessum est; seriùs, ocyùs pro varia temperie. Hanc lethi necessitatem compensavit natura mirâ procreandi libidine, quam cunctis insevit animantibus. Ne tamen putes perire quidquam. Nihil emoritur, sed ultrò citròque transpositum, formam perdit priorem, ut acquirat novam. Eam ob rem divisus uterque sexus; pars una puellis, una viris genita est, cujus ope gens humana quodammodò perpetua fit & æterna. His in partibus si desint caloris blanditiæ, seminum prolifica vis extinguitur.

I I.

MULIER propter Uterum mulier. Is non unâ contextus tunicâ, venis & arteriis irrigatur; jacet in imo ventre reconditus; ubi ſemel hauſit parentum ſemina, undique ſeſe contrahit, ut illa ſuo foveat calore, diducat ope fermenti: diductam hanc generationis materiem ſpiritus intùs agitat: tùm evolvuntur ſeminales particulæ, quæ priùs erant confuſæ: Exilit una quæque, partes effictura ſimiles iis à quibus deceſſerant: quæ à corde, quæ ab hepate parentum effluxerunt, eadem in ſobole efformant viſcera. Hæc à materno ſanguine mox appellente capiunt incrementum. Sic à motu & calore vita ducit exordium.

I I I.

QUIDQUID igitùr in mundo extra mundi opificem, & animam rationalem, conſtat ex materie, huic & ipſe homo debet originem, non ab ovo, ſed à puro ſemine repetendam. Salax iſte liquor in Utero ſolo depoſitus fit corpus humanum; ſic chylus in ventriculo, ſanguis in vaſis, ſpiritus in cerebro conficiuntur. Nec ullibi quam in Utero reperias Uteri fermentum; ab eo quoque promoveri putes menſtrui ſanguinis excretionem, non per venas, ſed per arterias. Et velùt gelidis in locis, nec maſſa fermenteſcit, nec arbores frugiferæ; ſic iners eſt ζύμωσις in vulva frigidiori; ſic in eâdem deſiderantur καταμήνια, conceptio.

IV.

CALOR cum fermento παντοκράτωρ: ille communis est omnibus viventium partibus, hoc peculiare singulis. Utroque si pollet fundus muliebris, brevi, tibi sponsa jactabit prægnantis Uteri pompam, tibi speranda nuptiarum messis & socialis pignus amoris. Annorum decursu ubi primum minuitur caloris magisterium, ubi languet attrita vis fermenti, torpet statìm & arescit Arvum muliebre, nec flores ampliùs, nec fructus Editurum. Pariter in junioribus, ante caloris ἔκλαμψιν, Uterum meritò dixeris adhùc inutile pondus.

V.

AT, dum floret ætas si friget Uterus; quam misera sors Conjugis! vivet illa sinè nomine, quia sinè sobole, ni citò quærat solatium; attendat igitûr, Undè mali labes? quò domestico more degerit? quibus se paverit Cibis? Caveat ne quid in iis deliquerit sterilitate luendum. Meminerit, cur Aulicæ mulieres quæ totæ vel in Epulis, vel in aleâ: cur Urbanæ quas sola desidia fatigat, inter opes laborent inopiâ liberorum: quamobrem Rusticanæ continentes in victu, patientes in labore, numerosâ prole beentur. Effectuum tam dissidentium causa, non alia profectò, quàm dispar vivendi ratio. Exercitatione fove-

tur vivificus Uteri calor, otio torpet; parco victu recreatur, ſuffocatur abundantiori; hinc ſterilitas, illinc fæcunditas. Sèd heu! Si frigidioris Uteri vitioſitas à naturâ, nulli fas ſponſæ ſperare prolis ornamentum, lugebit illa perpetuò calamitoſiſſimam orbitatem.

Ergo quæ frigido ſunt Utero, non concipiunt.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Amandus Douté.
M. Franciſcus Goüel.
M. Nicolaus Brunel de la Carliere.
M. Joannes-Baptiſta Doye.
M. Urbanus Leaulté.
M. Michael Pichonnat.
M. Claudius Puylon.
M. Claudius Berger, Decanus.
M. Dominicus de Farcy.

Proponebat Lutetiæ Pariſiorum CAROLUS BOMPART, Claromontenſis, ex Arverniâ, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.